

De carminum Ovidii ex Ponto datorum compositione strophica

scripsit

Otto Korn.

Quamvis hoc tempore viri docti Ovidii libros ex Ponto ceteris illius operibus postponere soleant nimiamque metrorum licentiam nec raram linguae stribiginem merito vituperent¹⁾, perpetuam autem earundem rerum sententiarumque — eam quidem ni fallor conditione qua scriptor utebatur, satis excusata — repetitionem languidissimam et frigidissimam clament, sunt tamen quae Ovidium a pristinae artis elegantia ac consuetudine ea quae strophica carminum compositione continetur netum quidem, cum gravissimis curis sollicitudinibusque obrutus fuit, recessisse videantur ostendere. In qua compositione observanda Ovidium aequalium poetarum morem²⁾ secutum esse, ex carminibus qui amores inscribuntur, satis dilucide apparet. Quod enarraturi, ab eis carminibus progressi in quibus idem versus paribus intervallis redit, ceterorum carminum singula tractabimus, quo maior evadat eorum quae proposuimus perspicuitas.

Prioris autem generis est sextum primi amorum libri poema, quo ianitor ut amanti aditum permittat supplicatur. Quod strophice confectum esse Luc. Muellerus quod sciam primus disertis verbis enuntiavit³⁾ eadem ratione ex parte uti adens epistolam nonam. Neque illum virum doctum alias quoque eorumdem librorum elegias aequae artificiose elaboratas esse fugit

1) cf. Leutsch ap. Ersch. et Gruber. enc. III, 7 p. 87. — B. Dinter de P. Nasonis ex P. libris comment. altera p. 17.

2) cf. Müllenhof, Allgem. Monatsschr. 1854 p. 186 sq. Bubendey quaest. Tibull. C. Prien, der symmetr. Bau d. Oden d. Horatius. Rhein. Mus. 1858 p. 321 sq. H. Muther Beiträge zur Erklärung etc. der horat. Episteln. Coburg. Progr. 1864. O. Ribbeck, C. Valer. Catullus. Kiel 1863 not. 20. 26.

3) Philol. XI p. 78 sq. ell. de re metr. p. 464.

cuius rei singula attulit exempla⁴⁾ haec: II, 15, III, 15. Quamquam qua ratione alterum constituendum esse dixit, versibus, quos R. Merkelius proscripsit, 5. 6 in suum locum reductis, ei vix consentiam. Tantum enim abest, ut orationem recte procedere intellegam, ut his ipsis versibus alienum quid atque ab universi carminis indole abhorrens induci videatur. Quid enim est quod ab elegis componendis ad tragoediae artem transiit poeta (v. 17) se nobili genere ortum esse magnis verbis iacet? An quo magis quanto maior Pelignis ex carminibus suis existat gloria appareat, ab equite clarissimo conscriptis, quam Mantuanis a Vergilii libris Veronensibusque a Catullo, utroque humiliore loco nato? Accedit quod, quae versibus 7. 8. pronuntiantur, minime cohaerent cum versibus notatis, cohaerent arctissime cum versuum 3. 4. et sententia et forma. Atque haec quidem perspicua nec ulla disputatione egentia: chiasmus autem, qui disticho utroque coniuncto Peligni — Pelignae notionum repetitione manifestus est, non tam casui quam consilio tribuendus. Iam cum ab argumento hi versus vix suum locum obtinere possint, ea quae Luc. Muellerus de strophica aequalitate qua carmen utatur disserit, eo minus illi disticho patrocinantur, quod vel eo sublato manet singularum carminis partium responsio. Bina enim disticha ter repetita, quibus carminum suorum laudes praedicat, trium distichorum epilogum sequi iussit, elegorum Musa dimissa tragoedias amplexurus⁵⁾. Sed ut unde egressi sumus redeamus, quae Luc. Muellerus apposuit responsionis exempla, multos habent socios. Quorum ex numero iam nonnulla adscribemus, ab eis carminibus quae simplicissima ratione composita sunt exorsi.

Carminis autem libri primi undecimi hanc esse dispositionem vix qui neget exiturum esse crediderim, ut quatuor versus bis positos, quorum his Napen habilem sibique propitiam in rebus amatorii adiutricem laudat, illis unde ea amantibus coniungendis maxime idonea sit enarrat, ternorum versuum duo sequantur membra, et quae facienda sint Napae continentia, et felicibus signis redeuntes tabulas Veneri Ovidium dedicaturum esse affirmantia. Cui carmini congruum quod sequitur poema, et argumento ipso coniunctum, ita dispositum est, ut hoc partium schema evadat:

3. 3. 1. 3. 1. 3. 1.

Vbi enim tribus distichis quod vacuae redierint tabulae deflevit, tribus trinorum distichorum paribus et ceram tabulis impostam

4) Philol. I. I. p. 88. 89.

5) Eadem compositionis lex in prima Vergilii ecloga observatur. cf. Vergil. ed. O. Ribbeck tom. I p. 1 - 7.

execratur arboremque unde eae factae erant et longe minori usui aptas illas fuisse confirmat, singulis distichis interpositis, quibus quae antecedentibus quibusque versibus exposita sunt brevibus vel detestationis (vv. 13. 14; 29. 30) vel querimoniae verbis comprehenduntur.

Nec minus artificiose carmen eiusdem libri alterum contextum est, quo amoris in se ingruentis vim Ovidius illustrat. Haec enim ni fallor est eius dispositio:

4. 1. 4; 5. 1. 5; 3. 3.

Inscius enim qua prematur aegritudine mox amorem sibi imminere edoctus (v. 1—8), quidnamque faciendum sit per breve tempus meditatus (v. 9. 10), exemplorum e natura rerum atque ab animalibus ductorum vi movetur (11—18), ut se iam deo obediturum esse polliceatur (19. 20). Iam illum adhortatur ut pareat triumphum (21—28), cuius primum decus ipse futurus sit (29. 30), quoque Venere ridente ab Amoris comitibus animi integri custodes vincti ducantur (31—40). Ipse autem deus ne multos triumphans vulneraturus sit, Ovidius metuit (41—46): unde ut victor victorem imitetur Augustum orat.

Sed ne longus sim aliorum quorundam carminum partes delineare satis habeo. Septimi igitur libri I carminis hoc schema:

3. 3. 5. 5. 5. 4. 4. 5.,

quinti: 3. 3. 3. 2. 2., duodecimi alterius libri autem hoc: 3. 3. 2. (2+2) 2. Latius de hac quaestione disserere aliis commissuri unum adnotabimus. Vt enim ne ceterorum quidem poetarum Ovidio aequalium carmina omnia ad responsionis leges videntur formata esse, ita Ovidii quoque poemata non sine exceptione hanc normam secuntur: at tamen compluribus carminibus fundamento quodam iacto apparere videtur, quotiescunque unum fere distichon responsionis aequabilitatem tollere videatur idque — nam solam ob aequabilitatem ne verbum quidem deleverim — sive a linguae legibus sive a sensu sententiarumve conexu dubitationi abnoxium sit, de interpolatione potius cogitandum esse quam de arte neglecta. Velut tertio libri I carmine versus 13. 14 interpolatori deberi, satis frivole in amorum libris grassato, non dubito. Nolo quidem premere, totum fere versum alterum ex verbis aliorum locorum conglutinatum esse (cf. am. II, 14, 18; I, 5, 34): at fidem bis nominari (v. 6. 13) nec tamen quae pluribus verbis augeatur dignam videri, cum totum carmen poesis laude refertum sit, atque ipsius poesis commemorationem (11. 12) ab eis distentam esse, quibus eius vis illustratur: haec libere profiteor maximam movere dubitationem. Nam ea quae inde a versu 15 leguntur usque ad versum 18, chiasmi figura adhibita ad Amorem referri versu 12 nomine solo inductum ne-

que ad ea quae versibus 13 sq. enuntiantur, cetera vero ad ea quae praeter Amorem vv. 11. 12 dicta sunt non est quod demonstramus. Iam vero hoc ipsum distichon de quo disputamus non solum a nexu sententiarum alienum est, sed etiam partium dirimit aequabilitatem. Quo remoto duo habes paria, utrumque trinis distichis bis positis constans, quorum altero et ut se audiat puellam orat poeta (1—6), et sola poesi se commendari fatetur (7—12), altero fidem se praestitutum esse contestatur (15—20) carminibusque perpetuam amatae paraturum esse gloriam (21—26).

Neque errare videor eundem interpolatorem carmini eiusdem libri nono versus septimum et octavum adsuisse ratus. Nam ut omnino inter militem, qui ducis tentorio excubias agit, amatoremque ante puellae domum vigiliis ferentem comparatio fieri nequit (diversa enim quisque sequitur), sic et loco, quo posita sunt, haec non apta, et suo loco (vv. 17—20) egregie prolata. Accedit his ipsis versibus, de quibus diximus, artificiosam carminis compositionem tolli quam his habes numeris delineatam:

3. 6. 4. 6. 3


Vnde versus 7 et 8 insiticios esse veri simile fit.

Atque haec quidem hactenus. Iam ubi satis perspicuum est, Ovidium ea carmina, quae prima post epistolas edidit, ad morem exemplorum graecorum ita conformavisse, ut singulae partes sententiarum ambitu absolutae, pares versuum continerent numeros, hanc autem membrorum aequabilitatem haud ita raro alienigenis additamentis obscuratam esse, ad alteram, quam huic commentationi proposuimus partem, transgredimur, eandem carminum componendorum rationem in eis poematis locum habere comprobaturi quae ex Ponto inscribuntur. In quibus Ovidium solitam artem non neglexisse vel ex aliis quibusdam rebus manifestum est. Nam et repetitionis figura qua orationem firmiter ac magis corroboratam reddat saepissime utitur, et minoris ambitus carminum partes, quibus contrariis ea quae enarranda sunt describuntur, fere semper ita elaboravit, ut partium aequabilitas servaretur.

Atque quod priore loco posuimus, illum *ἐπαναφορᾶς* schema valde adamasse, id quidem ex Tibullianae artis imitatione, cui plurima debuit, Ovidium repetiisse coniecerim (cf. Tibull. ed. Dissen. I praef. p. CXLVII sq.). Eam autem figuram eo saepius adhibuit quo magis rhetorica arte argumenti vilitatem augeter necesse fuit, ni mirum in tristibus et in libris ex Ponto. Quorum in illis eo progressus est, ut iam non singulorum verborum certis spatiis redeuntium vi contentus (veluti trist. II, 155—182; IV, 6, 1—18; I, 3, 51—60; 8, 29 sq.; II, 399 sq.; III, 3, 7 sq. 46 sq.; 8, 1—6; 9, 1—4; 11, 10—18; IV, 1, 93 sq.;


2, 59 sq.; 3, 49—56; 5, 3—8; 7, 23—26; 8, 1 sq.; 10, 117—122. ex P. I, 7, 9—15; 6, 29—40) totorum fere versuum repetitioni indulgeret trist. III, 12, 14—16.

De compositione autem minorum partium aequabili exemplis additis quid sentiamus interpretabimur. Ac duo quidem sunt loci de quibus disputare in animo est, alter trist. I, 5, 57—84, alter ex Ponto I, 4, 23—46. Atque illud quidem carmen, ad Celsum, si rectum vidit Ciofanus (ap. Burmann. III p. 471) datum, gratias primum continet ob servatam amicitiam precesque, quibus ut auxilio exuli sit, ille moveatur; tum malorum, quibus scriptor obrutus sit, memorationem ea pars sequitur, de qua agemus, Ovidii Vlixisque malorum comparationem complexa. Quae qui inspexerit, eum 'ille' voce saepissime repetita atque cum primae personae pronomine personali per contrarium composita compluria extare non fugiet membra, certo quodam ordine disposita. Tota enim poematis particula in duas partes dividitur, quarum utraque septena disticha complectitur et ea quidem aequaliter ordinata. Haec enim compositionis ratio:



Vides ea quae sensu disiuncta sunt, versuum quoque dispositione segregari. Nam cum altera parte itineris pericula, hominum auxilia viae fines Ovidio Vlixique dati inter se comparentur, altera de deorum adiumento eorumque potentia deque fine alteri tacto, alteri negato disseritur.

Cui carmini simillimum ad quod transimus quartum primi ex Ponto libri carmen, quo suas Ovidius molestias Iasonis laboribus confert. Cuius loci artificiosa compositio quo clarius appareat, ille α litera, prima pronominis personalis persona β signabitur. Iam vide hoc schema:



Quae cum enarratione non egeant, superest, ut cur versus 31. 32 omiserimus demonstremus. Hos autem non una de caussa offensioni esse crediderim. Primum enim simplicem orationis progressum interrumpunt, tum siquid eis contineatur respexeris inepti sunt, denique compositionem modo illustratam turbant. Quorum quod tertio loco posuimus non est quod exponamus, quippe qua de re schemate adscripto dubitari nequeat. Neque

6) vide eiusdem artis exemplum trist. II, 155—182 ita ordinatum: $2 + 1 | 2 + 2. 2 + 2 | 1 + 2.$

quae in his versibus insunt, admodum contorta, ne dicam falsa esse difficile intellectu. Nam sive codicum manu scriptorum lectionem:

Iunctior Haemonia est Ponto quam Roma sit. Istro sive probaveris coniecturam Burmannianam, qua recepta talis evadit versus:

Iunctior Haemonia est Ponto quam Roma sinistro obliquam esse sententiam nec satis perspicuam vix negabitur. Hanc enim si amplecteris scripturam: i. H. e. Ponto quam Roma sit Istro, vera quidem sunt, quae enuntiantur, at mira est notionum perturbatio. Qui enim Ponto Istrum opponere potuit in eum ipsum effluentem? Neque modorum vicissitudo in verbo copulativo dubitationi non obnoxia. Sin haec librariorum culpa corrupta esse existimaveris recteque restituisse contenderis Burmannum: i. H. e. P. q. Roma sin istro, ne haec quidem omnibus numeris absoluta. Quis enim est qui nesciat, haec ab eis quae de Iasonis itinere narrantur valde abhorrere? Qui cum in dextram Ponti partem cursum direxisse dicatur, neque quicquam curavisse oram sinistram, satis obscura atque ambigua videntur, quae Burmanno auctore Ovidius protulisse fertur. Haec sunt, quae me moveant, ut id distichon insititium esse censeam: quorum num quid et Heinsio in animum venerit qui in schedis versui 31 adscripsit: 'distichon suspectum' necne, iam non perspicui posse doleo.

Iam vero, sicut ubi amorum libri primi sextum carmen ex parte strophice compositum esse cognitum est, eadem lege universum carmen contineri Luc. Muellerus suo iure conclusit (Philol. 1. 1.), ne ei quidem loco quem tractavimus epistolae quartae ex Ponto missae soli tantam artem quantam inesse intelleximus adhibitam esse conicias, sed ceteras quoque poematis particulas eandem sequi rationem. Nec coniectura fefellit. Haec autem est carminis dispositio, ut bis denos versus bis positos singula sequantur disticha, quinque autem disticha uno accedente carmen finiant. Primis enim quinque distichis (1—10) ubi malorum mole praemature se consenuisse adnotavit sequentibusque decem versibus quanta sit perpetui laboris vis (11—20) exemplis illustravit, unoque disticho quae dicta sunt composuit, bis denis versibus et (23—34) quanto minora fuerint quae Iasonem ut Pontum viseret moverunt quam quae ipsum istuc migrare iusserunt depingit, et (35—44) quanto meliora illi fuerint quam sibi sint adiumenta, quantopere vero distent exitus proponit unoque disticho quasi tholo (45—46) repetit. Iam epilogi loco quinque distichis uxoris memorat mala (47—56), quam revisere magno opere cupiat atque postremum (57. 58) ut dii omnia bene vertant precatur.

Prius quam vero ad alia carmina enarranda transeamus, pauca quaedam de interpolatione quae in libris ex Ponto grassata est, verba facienda videntur. Non enim Merkelium probo contententem (Ovid. ed. Merkel III praef. p. V), hos libros satis antiquo codice Hamburgensi (saec. IX vel X) servatos ab interpolationibus in universum esse liberos, eis quidem deletis, quae ut lacunae Hamburgensis libri expleantur, in codicibus recentioris notae adscripta sunt. Ipsi enim codicis Hamburgensis auctoritatem non eam esse mihi persuasum est, ut quae in illo omissa sunt, interpolata habeantur, genuina quae insunt. Tot enim in hoc sunt codice neglegentiae vestigia sive verborum respexeris corruptelas non raro gravissimas, sive versus omissos (quorum recensum vide ap. Merkel. praef. ad Ovid. tom. III p. IV. V) ut tantum absit ut hoc auctore versus utpote subditicios reicere liceat, ut singulis locis quid verum sit quid falsum enucleari debeat. Neque eo Merkelius progressus est, satis habens ea tamquam spuria delevisse, quae vel ipsa metrorum verborumque natura suspicionem moverint (veluti I, 8, 20) vel eo quod varia forma repetita deinceps inveniebantur, lacunam a diversis hominibus expletam esse sumi iusserint (veluti I, 2, 8 sq.).

Atque horum quidem versuum, qui lacunarum explendarum causa facti esse videntur, praecipuam rationem habendam esse, ut recte de codice iudicetur apparet. Duo autem sunt loci de quibus dicendum est. Quorum priore qui est ex P. I, 2, 8 sq., Merkelium, eis quae post versum 8 leguntur rescissis rectissime conservasse existimo versum 11, nullis dubitationibus obnoxium: nego eum verum vidisse in eo loco restituendo qui est II, 2, 32 sq. Vulgata lectio haec est:

33 qui rapitur fatis quid praeter fata requirit?

saepe creat molles aspera spina rosas.

35 qui rapitur spumante salo sua bracchia cauti

porrigit et spinas duraque saxa capit.

Versui 33 Heinsius adscripsit: 'Nonnulli ex antiquis omittunt hoc distichon, quidam proximum. Alii ex duobus unum faciunt, utroque mediorum versuum omissis. Ego utrumque distichon superfluum et tollendum esse censeo.' Ac sane codices quorum Heinsii accuratas habemus collationes quosque ipse inspexi⁷⁾ cuncti prius solum agnoscunt distichon nec tamen omnes pari forma: partim enim ea habent, quae supra adscripsimus, partim alterius versus loco eum qui supra est tricesimus sextus, talem praebent:

Porrigit ad spinas duraque saxa manus.

7) cf. 'Bemerkungen zur Handschriftenkunde der Ovidischen Bücher ex Ponto'. Progr. Wesal. 1866 p. 2 sq.

In uno codice Lipsiensi saec. XIII (Rep. I n. 7)⁸⁾ quem Naumannii viri praeclarissimi doctissimique beneficio in manibus habeo, utrumque legi distichon, alterum ut supra est, alterum tali modo mutatum:

qui rapitur spumante salo sua braccia tendens
porrigit ad spinas duraque saxa manus.

Atque haec quidem de lectione vulgata. Restat codex Hamburgensis, in quo haec extant:

Qui rapitur
Porrigit spinas duraquae saxa.

Vt autem ad virorum doctorum iudicia de his versibus prolata transeamus, alii alia iudicaverunt. Nam scriptor electorum Etonensium et R. Merkelius prius, Zinzerlingius (prom. crit. c. XLV) et P. Burmannus alterum proscripserunt, I. H. Withofius⁹⁾ utrumque servare studuit, cum prius coniecturis qualibuscunque in hanc formam redigeret:

qui rapitur ventis, quid praeter litora quaerit
saepe licet multis aspera visa locis,
gravem ob obstinationem in N. Heinsium utrumque distichon delentem I. Schraderi (emend. p. 192) passus vituperationem.

Qui viri cum R. Merkelio, qui tamen ex editionis consilio eorum quae scripsit, rationem non reddidit, excepto, codicum ex quibus omnia pendent, minus rationem habuerint quam par fuit, totam quaestionem retractare non ineptum ducimus. Duae autem ni fallor sunt viae, quibus ut verum appareat, progrediendum est, altera ex sententiarum conexu ducta, altera ex codicum auctoritate. Ac primum quidem versum 33 sensu fere egere, qui acerrime loci integritatem defendit, Withofius docuit (l. l. p. 62) idemque versum 34 inconcinnum esse vidit¹⁰⁾. Accedit alterum. Si enim quo vinculo singulae sententiae inde a versu 27 contineantur respexeris, ea quae versibus 33—36 enuntiantur a conexu valde aliena esse non negaveris. Nam cum versibus 25—28 et 37 sq. non citentur profugorum confugia nisi ea, quorum odio qui confugiant in summum adducantur pericu-

8) Codicem a Servio Heinsio donatum saec. XV consulto nelego.

9) Anmerkungen über Horat. und andere röm. Schriftsteller. III. Stück. Düsseldorf 1793 p. 61 sq.

10) 'Was sollen die Worte: s. creat m. asp. spina rosas? Wäre der Satz dieser, dass von bösen Dingen etwas Gutes kommen könne, so wäre das Gleichniss nicht übel; aber hier ist der Satz der: dass man in der grössten Noth auch zu gefährlichen Dingen seine Zuflucht nehme, um sich auf diese Weise zu retten. Wie übel schickt sich auch das Wort 'saepe' hierhin, da der Rosenstrauch allzeit dornig ist.' (l. l.)

lum, eis versibus de quibus agimus longe alia intermittuntur, quae quomodo cum eis quae antecedunt et secuntur componi possint non video. Neque praetermittendum versibus illis quatuor rescissis nullam fieri sententiarum lacunam.

At aliam movit Withofius difficultatem huius loci defendendi nimio studio abreptus, ea quae hic leguntur ideo genuina esse ratus, quod similia quaedam apud Senecam extant. Haec enim sunt epp. mor. IV, 5 'hoc cotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur et tenent, quomodo qui aqua torrente rapiuntur, spinas et aspera'. Quod sane testimonium non nihili faciendum: saepissime enim Senecam Ovidiana laudare satis constat. Neque tamen desunt quae illud debilitent. Nam ut mittam Senecam ex Ovidianis nihil nisi amorum et metamorphoseon libros citare, quae hoc loco proferuntur tam sunt vulgaria, ut non necessario ad versus Ovidianos referenda sint. Immo nobis persuasum est, ex his ipsis Senecae verbis originem traxisse quae in libris manu scriptis epistolarum ex Ponto leguntur. Quod ut demonstretur quae in codicibus traduntur perpendenda sunt. Quorum qui primum locum tenet Hamburgensis primus in iudicium vocabitur. In quo quae legi supra adnotavimus ab solito eius qui hunc librum conscripsit more, quo lacunarum nullam omnino habuit rationem, tantopere recedunt, ut unde factum sit, ut utriusque versus finibus omissis priora sola adpinxerit vocabula accurate disquiri debeat. Haec mihi reputanti duo fere veniunt in mentem, quibus eo scriba adductus videatur. Aut enim extrema verba enanuerant quod in Tibulli carminibus haud raro accidisse constat¹¹⁾, aut nota quadam critica quales in antiquioribus libris inveniuntur¹²⁾ de interpolatione horum versuum edoctus, omittere maluit librarius quam tradere falsa. Sed huic rationi obstat, quod, si nota critica adpicta fuisset, in primi versus initio is qui codicem scripsit haud dubie substitisset, illi qua evanuisse nonnulla credideris, quod uno loco talem factam esse iacturam, cum cetera omnia bene servata sint, a veri similitudine valde abhorret. Alia igitur ineunda erit via, ut libri Hamburgensis scripturam interpretemur. Neque ea potest dubia esse. Adscripta sunt in margine folii 248 b. quod versus libri II, 5. 44—73 complectitur, haec:

CVPEDINARIJ.

(cu)pediaē¹³⁾ cupiditas. Inde conciones || aliiq(ue)cupidi ut sunt

11) cf. quae nos disputavimus in mus. rhen. XIX p. 498 et H. Bubendey quaestt. Tibull. p. 23 sq.

12) cf. Bergk in Jahrb. ann. vol. 83 (1861) p. 317—319.

13) Vncis inclusa supplevi.

teleonarii et mercib || cupidinarii vocār̄ quod
 qui teren || (tium) legerit annitaduertere (sic!) quiverit ||
 CETARII Cetus est genus marine belue || ab hoc genere
 abusive piscatores cetarii dicunt̄ (cf. Terent. Eun. II,
 2, 25 ed. Fleckeisen. ell. Donat.).

Quibus similia sunt quae adnotata reperies in margine folii 250. b
 versus II, 7, 50—79 continentis; quorum, cum satis evanida sint,
 haec sola legere potui:

Hec(autontimor)umenos. Quod sonat
 excruciaris siue in suā ipsā | excrucia(ti)onē

(cf. Terent. heaut. III, 1, 14).

Quae cum omnia ab eadem manu addita sint, quae in textu
 quem vocant ipso conscribendo elaboravit, dubium non est fuisse
 in archetypo, ex quo liber Hamburgensis descriptus est; talium
 enim eum, qui Hamburgense exemplar transcripsit auctorem
 esse non posse luce est clarius; qui qua est latinae linguae imper-
 ritia Terentii, unde notae istae pendent, notitiam vix ullam ha-
 buerit. Iam vero quamquam scholia ista eo quo sunt loco quid sibi
 velint, hodie enucleari non potest (neque id magni est momenti),
 hoc tamen pro certo affirmare licebit, fuisse in codice archetypo
 varia margini adlita, quae qui apposuit certo quodam vinculo
 cum Ovidianis haud dubie coniunxit. Quem christianae fidei
 asseclam fuisse (cf. tel(e)onariorum commemorationem ell.
εὐαγγέλ. κατὰ Μάρκον II. 15) Terentii lectione imbutum egregie
 cum eis convenit, quae de saeculorum VII et VIII post Christum
 eruditione comperta habemus ¹⁴). Eiusdem autem generis, ut
 iam unde disputatio deflexa est redeamus, ea esse contendimus,
 quae post II, 2, 32 in codice Hamburgensi extant. Quae cum ex
 eius sententiae memoria, quae est apud Senecam, eo ipso tem-
 pore, quod significavimus, diligenter lectitatum ¹⁵) adscripta es-
 sent, scriba codicis Hamburgensis versuum lacinias esse falso
 ratus in duas distulit lineolas. Ex hac autem ipsius Hambur-
 gensis, sive qui illi par fuit, libri lectione ea initium ceperunt,
 quae in ceteris libris leguntur. Is enim, quod alio loco fusius
 demonstrabitur, ceterorum fere omnium librorum manu scripto-
 rum archetypus est ¹⁶). Quae si persequeris, eo exemplo usus
 quod est ex P. I, 2, 9 sq. hoc fere interpolationis iter elucebit.
 Verba 'qui rapitur' primum in hanc formam profecta:
 qui rapitur spumante salo sua brachia cauti,

14) cf. O. Iahn de subscriptionibus 'Ber. d. sächs. Gesellsch.
 d. Wiss.' 1851 p. 342 et Fr. Loeher de Hrosvitha in 'Wissenschaftl.
 Vorträge geh. in München' 1858 p. 471.

15) cf. Senec. ed. Fr. Haase vol. III praef. p. VI.

16) cf. nunc 'Bemerkungen zur Handschriftenkunde' p. 5. 10.

pentametrum acceperunt ex Hamburgensis vestigiis fortasse hunc:

porrigit ad spinas duraque saxa manus.

Qui cum illi minus aptus esse videretur, non ita multo post alter consarcinatus est pentameter:

saepe creat molles aspera spina rosas¹⁷⁾.

Quae cum ita essent, non aliter atque ex P. I. 2, 9 qui defuit hexameter additus est, (eis quidem servatis quae amissi reliquiae superesse videbantur) veluti talis:

qui rapitur fatis quid praeter fata requirit.

Itaque qui desiderati erant aderant versus, sed tantum abfuit ut omnia peracta essent, ut iam novus instaret diversorum versuum inter se coniungendorum labor. Inde nati diversi versuum exitus (brachia rupi, br. cauti, brachia tendens, brachia nanti; et spinas, ad spinas; saxa capit, saxa manus), qui satis dilucide demonstrant, quantum in hoc loco studium posuerint interpolatores. Eorum enim temeritati quattuor de quibus diximus versus nec a sensu satis probabiles nec codicum fide nitentes debentur.

Vt vero quae exposita sunt breviter comprehendamus evicisse nobis videtur, librum Hamburgensem uno quidem loco interpolatione affectum esse nata ea ex morosa librarii stupiditate, quae in margine notata reperiebantur in contextum recipientis. Nam eum librum ex quo Hamburgensis deductus est, interpolatione caruisse pro certo affirmaverim, quippe in quo lacunae, quae versibus singulis nescio quo casu intercidentibus ortae sunt, nullo restituendi conatu defoedatae tanquam integrae fuerunt.

Quae si recte a nobis disputata sunt, non a vero aberrabimus, ne a totis quidem distichis, quae in margine fuerunt, contextui inserendis scribam abstinuisse conicientes. Itaque si qui versus vel sententiarum nexui adaptari non possint vel metricis legibus minus respondeant vel praeceptis grammaticis repugnent, eos quominus insiticios habeamus, Hamburgensis libri auctoritate ceteroquin summa prohibiti non erimus. Ceteris autem codicibus quibus epistolae ex Ponto traditae sunt, ubi de versibus interpolatis agitur, ne minimam quidem esse auctoritatem eo clarissime apparet, quod eis ipsis locis, quibus liber Hamburgensis lacunas archetypi servavit, eos receperunt versus, qui ut plena fierent carmina inde ab octavo p. Chr. saeculo, quo scriptorum latinorum accurate edendorum studium denuo effloruit, confecti sunt.

Ac primum quidem ut ab eo carmine initium capiamus

17) similia in Tibulli carminibus facta esse vide sis apud Heyneum ad Tib. I, 2, 24; II, 3, 11.

quod in Hamburgensi deest, in interpolatorum numero habemus quae leguntur ex P. I, 3, 85, 86

Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
qui facit ex dictis non ita multa tuis.

85. ignoscas Reg. Putean. cod. Moreti. — nostra cod. Iunii.
86. que facis Lipsiens., Vatic. un. si facio Farnesian. com-
moda multa tuis Barber. ¹⁸⁾ t suis cod. Moreti. — qui capit P.
Burmam. multa catis R. Merkel.

Multifariam vides hos versus interpolatorum manus esse expertos, qualicumque ratione ita conformare cupientium, ut et latini sermonis normis adaequantur et sententiarum conexui adaptentur. Recentiorum multi in eis offenderunt; qui quae senserint suo loco adnotabimus: unum nominatim adfero Ric. Bentleium, qui insiticios eos esse iudicavit ¹⁹⁾. Novissime autem qui de eis disputavit B. Dinterus ²⁰⁾ in defendenda Ovidiana origine non ita feliciter si quid video versatus est. Is enim cum ea quae usum sermonis latini minus sequantur, recte composuerit, primum quod est v. 85 vestra, ubi nemo non putat dicendum fuisse tua, tum faciendi vocis constructionem ab vulgari usu recedentem, denique qui in verbis qui facit inest constructionis errorem, aliis alia via interpretationem medelamve adhibere studuit. Qui cum vestra vocem ut illustret haec afferat, et recte se habere illud vestra ex more Ovidii neque caussam cur poeta hoc loco universos suos amicos alloquatur deesse, utrumque ex comparatione huius carminis cum prima eiusdem libri epistola duxisse videtur minime probabili. Morem autem Ovidii, quem observasse sibi visus est Dinterus, quo pluralis numeri pronomina cum singularis numeri pronominiibus coniungantur, ea quae ille attulit exempla ²¹⁾ mihi quidem non persuaserunt. Quorum alterum ex primo primi libri carmine sumptum (v. 19 sq.), qui accuratius illud carmen inspexerit (cf. v. 37. 47. 50), nullum esse concedet: id enim carmen non tam ad unum datum est Brutum, quam ad omnes, qui latinae linguae periti sunt, totius libri primi praefatio quasi et programma; quo fluctuari poetam modo hunc alloquentem modo illos non est mirum. Alterum autem exemplum, quo Dinterus nititur, in sexto libri quarti carmine extat (v. 18) post Fabii obitum scripto. Qui ipse locus ita comparatus est,

18) de Farnesian. et Barber. codicum indole v.: 'Zur Handschriftenkunde d. Ovid. B. ex P.' p. 11. 12.

19) notas eius v. in editione Ovidii quae prodiit Oxonii 1826 tom. V p. 33 sq.

20) de P. Ovidii Nas. ex P. libris comment. alter. Grimae 1865 p. 36 sq.

21) de Ovidii ex P. libris comment. prior. Grimae 1858 p. 9.

ut quae latius pateant praecepta elici inde non possint. Nam ea quae se composuisse Ovidius narrat poematia non uni destinata fuisse Bruto sed omnibus qui de Fabii morte cum illo lugerent luce est clarius. De more igitur Ovidii, qualem Dinterus sibi finxit, nihil constat. Neque quod altero loco posuit, universos amicos aptissime appellari, maioris est momenti. Nam ut totum carmen ad unum Rufinum scriptum est, sic ad hunc solum, quaecunque profertur spectant (cf. v. 61. 63), nec nisi huius viri rei iuntur adhortationes epistola, quae ad Ovidium data erat, nisi fallor, enuntiatae. Atque haec hactenus: ad alteram partem transimus, qua de faciendi vocis constructione et natura disputandum est. Docte sane et subtiliter, quaecunque comparari potuerunt, Dinterus composuit, at nihil comprobavit nisi neque unquam proficiendi notionem illud verbum habere, neque cum praepositione ex coniungi. Neque proficiendi notio huic loco apta est, quoniam quod amici admonitionibus nihil profecerit, non eget excusatione, eget quod eas nihil curet. Vnde ne R. Merkelii quidem coniectura, qua 'non ita multa catis' scripsit mihi probatur, quippe qua sensus quem aptum non esse demonstravimus, efficiatur. Restant in quibus haereamus verba 'qui facit', pro quibus 'qui faciam' scribendum fuisset haud dubie. Cui vitio Dinterus ita se mederi posse opinatus, ut facit exortum esse contendat ex codicis archetypi lectione faciam, nimis ni fallor rei diplomaticae praecepta neglexit, quae conici non patiantur nisi ea quae sint similia veri. Ex scripturae enim quam dicunt quadratae notis, qua eum codicem, ex quo qui servati sunt libri pendent, usum fuisse constat, Dinteri rationem elici posse praeefraete negaverim. Dinteri igitur, (quod viri doctissimi, cuius opusculis Ovidianis multa me debere libentissime confiteor, pace dictum velim), argumentis id unum demonstratum esse crediderim, eam de qua dicimus distichi formam nullo modo posse ferri. Quamquam, si quid video, quae contra illud promi possint, nondum omnia coniecta sunt tela. Nam ne de verbis 'sapientia vestra ignoscat' multus sim, quae nescio quid ab Ovidianae aetatis more alienum et abhorrens habent, neque auctorem electorem Etonensium secutus in versibus 86 et 88 exituum consonantiam ingratam preman, quippe qua non semper Ovidius abstinerit (cf. ex P. I, 9. 52. 54 et hoc ipso carmine versuum 87 et 93 initia), non aliter atque easdem versuum particulas saepius iteravit (cf. veluti ex P. I, 6, 4 et II, 3, 49; I, 6, 31 et trist. IV, 1. 5 cll. Tibull. II, 6, 25; I, 8, 9 et trist. III, 14, 51; II, 7, 42 et IV, 16, 52; IV, 7, 46 et am. II, 8, 28 etc.): duo fere restare videntur, quae utrumque distichi versum dubitationi obnoxiam reddant, quorum alterum ad locum pertinet, quo positi sunt, alterum ad totius carminis

compositionem. Etenim quod prius posui, distichon non suo esse loco, inde conicio, quod neque cum eis quae antecedunt grammatice coniunctum est, neque cum eis quae secuntur, ut ita dicam, logice. Nam ut 'quo magis' quo referenda sint non elucet, sic ubi ea reiecerimus, quae Dinterus ut vestra versus 88 probaret proposuit, oppositionem esse inter omnium amicorum adhortationes Rufinique monita, ea quae est inter vv. 85. 86 et vv. 87. 88 oppositio nullo modo ferenda est. Verba enim vestra sapientia ignoscat, si quae contra Dinterum diximus recte se habent, cum aliter explicari nequeant nisi ut idem significant quod pedestri oratione dici solet: tu qua es sapientia ignoscas velim, prioris distichi verba eis quae altero disticho enuntiantur mirum in modum repugnare nemo non intellegit. Neque aliter si quae hoc disticho continentur respexeris, hic istis versibus locum esse non posse concedes. Tam enim contemptim insolenterque Ovidium quae solatii causa Rufinus scripsisse videtur retrudisse quam his fit versibus, a totius carminis ipsiusque Ovidii conditione eo magis alienum est, quod insequentibus versibus eo quo par est Rufinum pudore alloquitur. Neque quem ab initio isti versus occupaverint locum demonstrare non possumus. Nondum enim qualis inter versum 92 et versum 93 sit conexus invenire mihi contigit. Quorum ille cum eis quae antecedunt artissime ita cohaeret, ut quae modo proposita sunt ex parte contraria illustrentur, hic ad vv. 89. 90 aptissime adiungitur, nihil autem cum eis commune habet, quae versibus 91. 92 insunt, quos ne continet vel ipsa priora versus verba vetant. Quam quaestionem soluturo duas apparet munitas esse vis: aut lacuna post versum 92 statuenda est, aut totum distichon interpolatum esse evincendum. At hoc quidem cum versus illi nullis dubitationibus obnoxii sint, fieri nequit: illud, lacunam fuisse, eo probabilius redditur, quod id ipsum distichon quod suo loco non satis aptum praebere sensum demonstravimus, post versum 92 translatum et versus antecedentis sententiarum ordinem egregie excipit et cum eis quae secuntur egregie quadrat. Id autem non ita dictum velim, ut distichon genuinum habeam: immo ut lacuna expleretur fictum esse exponere volui. Quod cum huc usque primum vitiis quae in eo sunt grammaticis, tum sententiarum conexus interrupto, denique ipsorum versuum indole suo loco minime apta adducti probare studuimus extremo loco partium aequabilitatem eo dirimi enarrabimus. Nam cum partium distributio ea esse videatur, ut in duas partes carmen divisum sit, quarum altera versus a primo ad quadragesimum sextum amplectitur, altera quae restant continet, uno disticho (47. 48) quod utramque partem coniungat medio loco

posito: prior pars ita comparata est, ut quinque disticha, quibus summa huius partis proponitur, bis quaterna disticha sequantur, quae bis quinis distichis cumulentur; altera autem quae inde a versu 49 initium capit, senis distichis ter repetitis in quatuor exit disticha, quae et lacunosa esse exposuimus et ab eis quae antecedunt disticho interposito seiuncta. Quod distichon cum multis de causis suspicioni expositum sit, neque iustum lacunae supplementum haberi possit, non errare videbimur, si coniecimus, duo fere excidisse disticha, quibus extremum carminis distichon cum versibus 91. 92 cohaereret. Vnde hoc carminis enascitur schema:

5. | 4. 4. 5. 5. || 1 || 6. 6. 6. 6.

Transimus ad alterum primi libri carmen hoc ordine ni fallor compositum:

6. 7. 7. 6 | 6. 5. 6. 5 | 3. 5. 3 | 4. 3. 4

De quibus utpote sententiarum ambitu satis manifestis plura disputare omitto, cum satis habeam extremae partis artificiosam notasse compositionem ita factam, ut trinis quibusque distichis, quae maioris ambitus expositionibus interiecta esse ex schemate adscripto apparet, Ovidius ad Augustum ipsum semper redeat, cum ceteris membris Fabium Maximum alloquatur.

Neque de decimo eiusdem libri carmine plura verba fieri opus est quod hoc schema praebet:

4. 3. 3. 4. 4. 4.

His adiungimus carminis primi expositionem pari ratione constituti. Cuius carminis compositioni ita factae, ut terna disticha quaternis excipiantur (3. 4. 4. 3 | 4. 4 | 3. 4. 3. 4. 3), singula autem membra absolutas sententias complectantur, distichon obstare videtur quod versibus 65 et 66 continetur. Quorum alteri N. Heinsius adnotavit: 'versus hic (66) praeter rem et praeter Nasonianam elegantiam, praecedens etiam nonnihil suspectus'. Ex his alterum, quod praeter elegantiam Ovidianam esse verum dixit, quid vir doctissimus ac sagacissimus significare voluerit, non ita facile est expeditu. Nam pentametri exitum trisyllabum eum vituperasse vix crediderim quippe quae in re Ovidii libri Pontici leges minus severiores sequantur (cf. ex P. I, 8. 40; III, 5, 40; 6, 46. L. Mueller de re metr. p. 214 sq. 224 sq. Dinter comm. alter. p. 17 sq.), neque verborum quae in hexametri initio sunt repetitio dubitationi obnoxia, cuius permulta sunt apud Ovidium exempla (cf. ex P. I, 2, 37. 38 am. I, 9, 1. 2. III, 6, 61. 62). Restat prioris partis versus nimis dura compositio longis syllabis aequo gravius incedentis (cf. L. Mueller l. l. p. 140 sq.), sed ne eius quidem in Ovidii carminibus exempla desunt (cf. ex P. I, 1, 80; 2, 76. 152; 3, 16 etc.). Haec

igitur eis diiudicanda relinquimus, qui subtiliorem harum rerum cognitionem habent, ipsi de eis disputaturi, quae Heinsius priore loco monuit. Qui cum versus 65. 66 'praeter rem' esse censeret rectissimo usus est iudicio: tollunt enim et sententiarum ordinem gradatim progredientem, sunt fatui neque habent; quo cum eis quae secuntur coniungi possint. Nam ubi versibus 51—58 saepissime fieri Ovidius exposuit, ut dei, dummodo eos, qui peccaverint, factorum poeniteat, poenas levent, se ipsum addit gravissimo culpae dolore angi, vel exilii pericula et curas superante (59—64). Quarum curarum morsus quanti sint, pluribus deinde versibus enarrat (67—74). Quis autem ferat, haec carminis membra accurate inter se iuncta disticho dirimi, quo omnia ea, quae insequentibus quattuor distichis explicantur, ut leniter iudicem superflua reddantur? Nam ubi semel mortis mentio facta est, malorum quibus vitae vires debilitentur enarrationem locum habere non posse crediderim. Accedit quod quae hoc disticho proferuntur, vv. 75. 76 repetuntur. Neque ipsum distichon per se spectatum probabile est. Nam eis quidem, quae in versu 65 sunt, manifesto non respondent, quae aliis locis de morte in terra Pontica perferenda Ovidius dicit (cf. I, 2, 109—114; 6, 47—50; IV, 8, 85—86), versus 66 autem sententia omnino nulla est. Etenim dici fortasse poterit, venia concessa non effici, ut peccati sensus deleatur: qui morte eius qui peccatum commiserit, id ipsum non removeatur non intellego. Denique quod versu 67 legitur 'igitur' aptissime referri ad ea, quae versu 64 dicta sunt, non conciliari posse cum versu 65, vix est quod moneam. Quae cum ita sint, hos quoque versus interpolatori tribuemus.

Restat ut huic commentationi finem imposituri addamus, quibus qualibusque potissimum hominibus versus, quos insiticios esse demonstrare conati sumus, debeantur. Atque horum quidem indolem si reputaveris, acuminis eos testes atque elegantiae vix habebis: habebis discipulorum tentamina, Ovidii sententias enarrantium, qualia haud pauca in eis codicibus inveniuntur qui tristium libros servarunt (v. appar. crit. R. Merckelii ad trist. II, 186. 364. III, 17. 18. V, 1, 18; 12. 35).